Nunquam edenda.

147.

Dilectissime fili.

Literas vestras accepimus. Deo gratias agimus, quod vos incolumes et commode deduxerit domum. Etiam pro de meliori valetudine parentis tui. Quam optamus quotidie confirmari. Et de cura re informari cupimus. Nos, per Dei gratiam, valemus. Uxor hodie misit sanguinem in pede. Diu id constituerat facere. Dies serenus ~~erat~~ est. Fecerat conjecturam ex certis signis, hoc sibi profuturum. Visa est exhilarari, quum doctor id approbaret. Et nunc laetior est, quam misit. ~~[illegible]~~ nihil sensit. Deus benedicat ei remedio. Hermannus crastino Bremae nuptias faciet. In locum fratris vocatur D. Uffenbach eisdem conditionibus. Ego judicium absolvi. Praefationem scripsi apologeticam pro meditatione scripturarum. In ea Amesiano quasi aliud agens respondi. Quod scribis de Agema, doleo, talia de ipso dici. Ego non novi nisi probum. Amstelodamenses diligenter in ipsius vitam inquisiverunt, et nihil nisi laude dignum compererunt. Inter inquisitores fuit Cognatus Snellius. Deinde suspecta mihi generalis criminatio. Quis nostrum similia non potest pati? De Praetore illo, credo falsum esse, quod dicunt Arminianum. Recordor, eum illa narrare, quae ~~me~~ ostendebant, eum et membrum Ecclesiae esse, et, ni fallor, seniorem in loco suo. Et putamus, Ecclesiam nostram voluisse per hominem Arminianae professionis legari apud Synodum? Fuit mecum Ludovicus Godin Ultrajectinus cognatus D. a Pierssil, qui mihi narravit, se Hagae fuisse cum D. Mornavio Senatore; eumque sibi dixisse: ~~[illegible]~~ ô Deira is een talmer. die wil hebben, dat wy de plaetsen [illegible] sullen. dat wy niet sullen doen. Demonstravi ei [illegible] tuam, et quantum tua referat vel pagos conjunctos manere, vel etiam dividi. Equidem puto, si possit unus Senatus Ecclesiasticus fieri, et communis fieri Ecclesia, etiamsi quisque suam habeat ad docendum quasi parochiam, [aut paroeciam,] id melius esset. Nam et communis cura esset: et tibi liceret habitare Capellae. Fac, ~~[illegible] vestrum ex loco decedere~~ D. Pierssil ex loco decedere; tibi incumbet cura utriusque pagi. An tum demum

fiat unum Synedrium? Sed, fateor, etiam illud potest habere
incommodum: si forte duo pastores in uno synedrio non conse-
tirent. Cogitandum igitur de ea re. Monitus sum, ~~ut~~
in Collegio DD. Curatorum actum, et proponendum Synodo, de
controversiis demandandis D. Hoornbeckio, et mihi, velut
valde idoneo, Veteri Testamento. Credo, id quaeri, ut
D. Hoornbeek paullatim in N. T. incipiat. Ego in-
terim spero, me epistolam ad Galatas praelecturum.
Deus me adjuvet. Princeps monet de Lexico. Princeps
Palatina Elisabetha curavit sibi describi mea in Apocal.
~~Habemus hic candidi~~ Ego incepi disputationes meas re-
cognoscere. Erit labor non ingratus, sed tamen labor.
Cogitandum enim, ut satisfaciam omnibus ingeniis et capt.
omnium. Candidatus est habemus Theologiae Professorem
futurum Heidelbergae. qui testatur, se nostra amare.
Hottingerus Tiguro abire dicitur. Hisce diebus p
à me sunt dictata in Iacobum. Non reperi post caput
34. Conjicio eas chartas apud te esse. Si ita est,
dabis operam, ut paullatim eas recipiam, ut possim
de Studiosis bene mereri. Haec malui nugari, quam
non, ut constitutum est inter nos, scribere. ~~Filium~~
~~in Lintmonibus occupatum fuit~~ ideò ~~hic nie~~
~~scribat.~~ Uxor, filia, filius salutant vos ex animo.
Lugduni d. 30. Aug. 1660.

Tui amantissimus
Joh. Coccejus

D. Guilielmo
Aeslario V.D.
Ministro.
Bizelinge.

Middelburch ten
huyse van M. A.
Jacobus Anslaar
predicaer des
Godliken Woorts.